

superhabundanti affluentia de parciū maiori iusticia et jure certitudinaliter edocentes, et nostrum animum experimentaliter informari cupientes, de consensu eiusdem domine Regine genitricis nostre, prefato Comiti Iwan, vna cum Gregorio filio Budizlai Comite Corbauensi et Pasman filio Petri de Karyn nobilibus et Juratis Regni Croacie, iuramentum duximus imponendum. Qui quidem Comes Iwan cum dictis duobus suis coniuratoribus, super sanctam crucem et ad sancta dei ewangelia, tactoque viuifico crucis ligno, in eo, quod ipse prefatos Iwan, Lackow et Tuerko pro dictis eorum instrumentis litteralibus non captiuauerit, nec aliqua priuilegia et instrumenta ab ipsis abstulerit, nec eciam ipsos aliqua nobilitate et hereditate in dicta Chetyne et eius pertinencijs habuisse sciuerit, neque sciat, corporale prestiterunt Sacramentum, prout per nos extiterit adiudicatum; verum quia tam ex prefatorum viginti duorum Juratorum assercionibus, quam eciam plurimorum nostrorum fidelium certis relacionibus, predictum districtum Chetyne rite et legitime ad regias manus fore deuolutum, nostrequē collacioni de jure pertinere, et ipsi comiti Iwan per nos tamquam Jus nostrum Regium olim rationabiliter collatum fuisse et esse cognouimus; Ideo una cum eadem domina Regina matre nostra, nec non dictis prelati et baronibus regni nostri, ne falsitas veritati et iniquitas calumpniantium preiudicaret equitati, de eorundem domine matris nostre et prelatorum ac Baronum nostrorum consilio ... dictum districtum Chetyne cum omnibus suis vtilitatibus et vtilitatum quarumlibet integritatibus ac pertinencijs vniuersis, sub suis metis, terminis et limitationibus in eodem priuilegio domini Andree Regis per nos priuilegaliter confirmato nominatis et expressis, prefato Comiti Iwan filio Nelepuch suisque heredibus heredumque suorum successoribus adiudicamus sententiamus et per presentis Iudicii nostri sententiam appropriamus et perpetuamus sub premissis primarie collacionis nostre titulo, Iure perpetuo et irreuocabiler possidendum, tenendum, pariter et habendum; pretitulatis vero Iwan, Lachko et Tuerko ipsorumque posteris, in facto dicte Chetyne et suarum pertinenciarum, ex nunc perpetuum silentium duximus imponendum, presentis priuilegii nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque per presentes concessimus litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus uenerabilis in Christo patris domini Nicolai Archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem Comitis perpetui, aule nostre cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno domini M^o CCC^o lx^{mo}. Quinto, Kalendis Januarij, Regni autem nostri anno decimo nono, venerabilibus in Christo patribus et dominis eodem Nicolao Strigoniensi, Thoma Colocensi, Nicolao Jadrensi, Archiepiscopis, Ragusiensi sede vacante. Nicolao Agriensi, Demetrio Waradiensi, Dominico Transilvano, Dominico Chanadiensi electo confirmato, Colomano Jauriensi, Ladislao Wesprimiensi, Michaele Wachiensi, Stephano Zagrabiensi, Petro Bosnensi, fratribus Stephano Nitriensi, Thoma Syrmieni, Johanne Tyniniensi, Bartholomeo Traguriensi, Demetrio Nonensi, Stepheno Farensi, Valentino Macarensi, Mattheo Sibinicensi, Mich. Scardonensi, Protia Sceniensi Ecclesiarum Episcopis Ecclesias dei feliciter gubernantibus, Quinqueecclesiensi et Corbauensi sedibus uacantibus. Magnificis viris Nicolao Konth Palatino, Dyonisio Woyuoda Transsilvano, Comite Stephano Iudice Curie nostre, Iohanne Magistro Tauarnicorum nostrorum, Leustacio Sclauonie, Nicolao de Zeech Dalmacie et Croacie, Nicolao de Machow banis. Petro Zwodor pincernarum, Paulo de